

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0019

0017

0023

0013

0028

0008

0068

0118

0518

1018

Ende

Anfang

8

XI. Nostra militia est miserior, cum multis enim miseriis
et (**B**) calamitatibus acquiritur, etiamsi bursam plenam habeat
peregrinus pecuniis.

XII. Haec hierosolymitana militia est prudentior, propter
varias experientias, quas homo in ea percipit: nobilis, profi-
ciscens in Jerusalem, multa experitur de cursu mundi, in
mari, et in utraque parte maris, de hominum moribus et dif-
ferentiis. Accipit enim notitiam de fidelibus et infidelibus,
quia videt et commoratur Christianis, Turcis, Sarracenis, Ma-
maluccis, Tataris, Arabibus, Judaeis, Samaritanis, Mauris,
Graecis, Nubianis, Jacobitis, Abessynis vel Indis, Georgicis,
Armenis, Ungaris, Dalmatis, Pannonibus, Achaicis, Italicis,
Gallicis, Anglis, Teutonicis, et breviter omnium orientalium et
occidentalium notitiam accipit, si est vir considerativus. Praeter
haec experitur clarae militiae homo, quis sit amicus vel ini-
micus, quis sit factus vel verus, quid stet bene vel male,
quid sit fortuna, quid diffortunum, quid virtus, quid vitium,
quanta sit differentia inter hominem bonum vel malum. Sed
et hanc experientiam optimam accipit, quae omnibus iam
dictis praestantior est, quod in hac peregrinatione homo in-
cipit se ipsum ex intimis cognoscere, suam sapientiam et
imprudentiam, suas varias affectiones et passiones, suas in-
clinationes et abominationes, suas virtutes et vitia. Et pro
certo dico, quod in XL septimanis homo in hac peregrinatione
magis se ipsum agnoscit, quam alias in XL annis. Fateor,
numquam meas imperfectiones et miserias melius et clarius
yidi, quam in illa evagatione, et praeципue in galea super
mare, et sub tentorio in deserto, in his enim locis nihil manet
in homine occultum. Scio, quod socii et domini mei nobiles
melius me cognoscant et omnes conditiones meas, quam
Frates Ordinis, cum quibus XXX annis degi, et ego milites
illos melius nosco, quam uxores eorum, aut parentes, aut filii
aut servi eos noscunt. Nemo enim potest in his miseriis et
casibus peregrinorum se apud se continere, sed omnia latentia
suis horis procedunt in actum, quia est ibi continua agitatio.
Alii milites in curiis regum facti, vel in ponte Tyberis, vel in
proeliis, paucas accipiunt experientias.

